



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 11. In Adamo, duplex Dei similitudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

potuisse; vel, si non in peccatum lapsus-
esset, donec Deo placuisset ipsum ad bea-
tiorem vitam in cælum transferre.

§. XI.

In Adamo, duplex Dei similitudo.

In tali non agro, sed horto, Creator ho-
minem initio posuit, ubi neque labor, ne-
que senium, neque morbus, neque mors,
neq; tedium ullum; sed omnia terræ bo-
na sponte & abunde proueniebant; ubi
passim oculis simulq; naribus ad blandie-
bantur panace, nepenthes, amaracus, am-
brosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, &
Elysij campi. Atque in his quidem positi
deltijs Adam & Eua nequaquam à fletu
sunt auspicati vitam, sed protinus deco-
rissimo mundi aspectu exhilarati suam fe-
licitatem; & in hac ipsa quoque tam beata
habitatione, quādam Numinis imaginem,
Numinis, inquam, unde quaq; beati, agno-
uerunt. Quanquam & alia Numinis ima-
go homini est impressa, quam S. Bernardus
etiam atque etiam monet intuendam, dum
ait: *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatu-* S. Ber-
ra, quoniam non solum insignita es Dei imagi- nard. de
ne, verū etiam decorata similitudine. Et ite- interna
rum: Quid maius his tibifacere potuit, quam cap. 67.
ad

ad similitudinem suā conderet factor tuus?
 Attende igitur diligenter primā cōditionis tuae
 excellentiam, & veneranda Trinitatis imagi-
 nem in te ipsa agnosce. Quin, ut doceat, quid
 sit ista Numinis & hominis vel imago, vel
 similitudo, addit: Considera nobilitatem tuā,
 quod, sicut Deus ubique est totus, omnia vivi-
 ficans, omnia monens & gubernans: & sicut
 Deus est, vivit, & sapit; ita tu secundum mo-
 dum tuum, es, vivis, & sapi: & sicut in Deo
 tres sunt personae, Pater, Filius, & Spiritus
 sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet intelle-
 ctum, memoriam, & voluntatem.

§. XII.

*Cur Deus suam homini similitudinem
 impresserit?*

Principes, si rem quampiam vel saluam
 volunt, vel honoratam, insignia sua illi ap-
 pendunt, sigillum imprimit, ne violetur.
 Ita ex diuina imagine homini à Deo im-
 pressa, intelligimus, quantum in eum diui-
 nae authoritatis, dignitatis, maiestatis vo-
 luerit deriuare. Sua eum imagine insigni-
 uit, vt ei cælum & terra seruire, vt Ange-
 li ministrare, vt bestiæ obediere non dedig-
 narentur, vt ipsi atridæmones nocere non
 auderent; denique similem eum sibi fecit.

vt